

Num. 385.

DVCATVVM CVRLANDIAE ET SEMIGALLIAE CONSTI-
TVTIO SANCITA ANNO 1774.

DVCATVS CVRLANDIAE ET SEMIGALLIAE.

1. **R**eassumendo pacta subiectionis, provisionem ducalem, diplomata inuestiturarum, conventiones, sanctiones et reversales Illustrissimi Ducis Curlandiae et Semigalliae, quibus nexus feudalis inter Nos et Rempublicam, ac Illustrissimum Ducem, supremumque Nostrum Dominium directum, supremaque Iurisdictio Nostra innituntur, horumque omnium auctoritatem perpetuam esse volumus.
2. Affecuramus ideo Illustrissimo Duci, eiusque Successoribus Ducalibus, in fide et obedientia erga Nos et Rempublicam permanfuris, superioratum territorialem, praecminentias, iura et regalia, modo eodem quo Ipsi per provisionem ducalem et diploma inuestiturae competunt, et Ipse, eiusque antecessores, post infeudationem iisdem usi sunt, vel de iure uti potuerunt. Quare si inter Nos et Illustrissimum Ducem ex ratione praemissorum quid contingeret, ita ut ab vna, vel altera parte conveniendum foret, in hoc casu Commissarios Nostros, tam ex senatorio, quam ex equestri ordine deputabimus, inramentis, quibus Nobis, et Reipublicae obnoxii sunt, absoluemus, et rursus ad iuste iudicandum obligabimus, quidquid tunc a praedictis Commissariis Nostri pronuntiatum et decretum fuerit, ratum esse et sine contradictione per Nos et Illustrissimum Ducem servari volumus.
3. Pari modo etiam ordini equestri, civitatibus, omnibusque incolis in genere, omnes libertates, omniaque iura, privilegia et praerogativas per pacta subiectionis, privilegium Ducis Gothardi et formulam regiminis, ipsis inseruientia, vna cum possessionibus bonorum, tam allodialium, quam feudaliu, in perpetuum confirmamus.
4. Et postquam constitutio de anno millesimo septingentesimo sexagesimo octavo iamiam sustulit omnia, quae contra Illustrissimi Ducis et equestri ordinis iura ac fundamentalem constitutionem ducatum quoquo modo irrepere, hanc constitutionem reassumimus, iuraque ducalia, ac fundamentalem constitutionem ducatum, secundum pacta subiectionis, provisionem ducalem, diploma inuestiturae, privilegium nobilitatis, formulam regiminis, iuraque municipalia in integrum restituimus, et ad indagandum, vtrum deviatum non sit ab hisce omnibus per sanctiones recentiores utque deviationes, si quae inveniuntur, ad orbitam reducantur, abusus quoque, qui circa processum finium regundorum, et possessorii nouissimi, siue restitutionis, irrepere, praevio examine aboliantur, auctoritate praesentis conventus commissarios ex Senatu et equestri ordine deputabimus, qui Instructione ex cancellaria Nostra muniti, quam primum nobis visum fuerit, praemissis innotencialibus, Mitauiam condescendent, cum Illustrissimo Duce, consiliariis supremis, et deputatis nobilitatis pro tunc conuocandae, et mandatariis civitatum, de congruis atque optimis remediis reformandi abusus, et abolendi grauamina, si quae iusta reperirentur, conferent, rationes, desideria, et petita, quorum interest, audient, omniaque, de quibus convenire consensu eorundem non poterunt, prout de iure disiudicabunt, statuent et decident.
5. Tollimus itidem et cassamus ex nunc, quidquid contra legalitatem testamenti, codicillorum et instrumenti cessionis Illustrissimi olim Ducis Ernesti Ioannis actum est ac ut eiusmodi omnia, si quae contra dispositionem legum publicarum inscripta existunt, pro eliminandis censeantur, iubemus.
6. Volumus praeterea ad evitandam omnem confusionem in iurisdictionibus, ut Ducatus Curlandiae et Semigalliae, eorumque incolae penes sua privilegia instantiarum, in iuribus provincialibus et municipalibus fundata conferentur, ac proinde neque commissiones citra instantias dari, neque causae iudiciales ad easdem instantias pertinentes ab iisdem avocari, et ad relationum iudicia trahi, multominus iudicata, iisdem instantiis coram obtemperata et non appellata, sub vlllo praetextu rescindi, sed potius circa vires rei iudicatae servari debebunt, salui conductus contrarii formulae regiminis, non attendantur, et ne in praerudicium iurisdictionis territorialis Illustrissimi Ducis in genere, vlla dispositio immediate, contra leges fundamentales fiat, cauemus, et si quid disponendum veniret, super eo Plenipotentiarium Illustrissimi Ducis informatum reddere, mandabimus.

7. Quo-